

2. D. B. F.

AUSPICIIS

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. FRIDER. AUGUSTI,

ELECTORATUS SAXONICI HEREDIS,

DE EO,

QUOD INTEREST

CONTROVERSIARUM

RECENTIORUM

DE VERBO DEI SCRIPTO

PRÆSES

JOHANN CASPAR Haferung / D.

SS. THEOL. PROF. PUBL. EXTRAORD. ET AD D.

MARÆ ARCHIDIACONUS P. T. EPHORIAS ET PASTO-  
RATUS VITEMBERGENSIS VICARIUS,

ET RESPONDENS

JOACH. FRIDERICUS ZEUMERUS

STETINENSIS POMER.

SS. THEOL. ET PHILOS. STUD.

IN AUDITORIO MAJORI

AD D. OCTOBR. MDCCXVIII.

PUBLICÆ DISSERTENT

VITEMBERGÆ, Literis JOH. LUDOLPHI FINCELII.

2.

~~174~~ 37

40

Ill. diss. A  
P. 4, 30

174 J. 174 (30)



2  
AUSTRIAE  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

DR. FRIDERICUS ZELMERUS  
MAGISTRI

DE BO  
QUOD INTEREST

CONTRORVERSIAM

REGIMENTI

DE VERBO DEI SCRIPTO



JOHANNI CASPAR

SS. THEOL. PROF. PUBL. EXTRAORD. ET AD D.

MAGISTRI ALCHEMIDAMUS P. A. LITHONIS ET NATI

RATIS VINDICIBUS SIV VIGILIS

ET RESPONDENS

IOACH. FRIDERICUS ZELMERUS

STREITENSIS LOMER

SS. THEOL. ET THEOL. STUD.

IN AUDITORIUM MAJORI

AD 2. OCTOB. MDCCLXXII

IN PUBLICA DISSENTATIONE

F. TEMERARIUS





7. N. 7.

DE EO, QVOD INTEREST  
**CONTROVERSIARUM  
RECENTIORUM**

DE  
VERBO DEI SCRIPTO.

---

PROOEMIUM.

**P**ostquam κακῆργος ille ἀλάστωρ, Satanus, Protoplasto-  
rum lapsu totum genus humanum peccati veneno  
infecit, eoque dissidium inter Deum atque hominem  
fecit. *Es. LIX, 2.* id negotii sibi datum credidit, ut  
ne permitteret unquam, ut in gratiam redirent dissiden-  
tes. Quamobrem cum Deus deperditam justitiam origi-  
nalem alio pacto refarturus esset, dato nempe filio, qui  
vices nostras subiret, legis onus portaret, & sanctitatem,  
obsequio suo partam, nobis donaret; Diabolus varias mo-  
liebatur insidias, quibus saluberrimum de instauratione no-  
stra consilium subverteret. At πολυποίκιλος Dei σοφία *Eph.*  
*III, 10.* superior erat & robustior, quam ut μυριοεχνίτης ille  
μεθοδείαις suis *Eph. VI, 11.* quicquam adversus illam profice-  
ret

A

ret



ret aut valeret. Eo quidem procedere divina proncea hujus furorem passa est, ut semini benedictionis morsum calcanei inferret, *Gen. III, 15.* at divinitus decretum, & nobis in infinitæ felicitatis scaturiginem evasurum; quippe quo tolerato, peccata expiata, & æterna justitia reparata fuit. *Dan. IX, 25.* Ita, dum in vanum abiisse vidit Satanias machinationes suas, novas adortus est strophas, prohibiturus, ne thesaurus ille, qui alieni esset meriti, ad nos perveniret, nobisque in emolumentum cederet. Nam cum Deus non alio medio nobis donare vellet justitiam Filii, quam Verbo, id conatus est Satanias, ut illud vel vitaret, vel suspectum redderet. Sicut enim specula, si frangantur, aut sordibus illinentur, imaginem, non uti est, reddunt, sed mentiuntur; ita & Satanias *ἑσθησεν* Scripturarum *1. Corinth. XIII, 12.* modo duplicare voluit, fociato illi alio, & vano quidem cognoscendi principio; modo inquinare, foedissimis in illud congestis coloribus. Videntur tamen non inconcinne in quatuor potissimum classes redigi posse ejus commenta: Vel enim ipsummet salutis medium incertum reddere voluit, ut dubitaretur, quodnam illud sit; Vel ejus virtutem & efficaciam convellere, ut de ea ambigeretur; Vel objectum, seu homines ita in partes dividere, & quosdam ita in desperationem agere, ut omnem verbi divini vim ad se quicquam pertinere diffiderent; Vel denique, quia fontes, non ab omnibus adiri possunt, maculas versionibus, a quibus Christianorum vulgus pendet, adspargere, ut illæ sordescant, & profecturis inde nauseam cieant. Quod ipsum si obtinere usque quaque posset Satanias; haud dubie æterno divortio homines a Deo disjuxisset. Animadverterunt hoc invicti asserendæ veritatis Heroes, viri, divino Spiritu animati, & insultus hos, a Fanaticis hominibus renovatos, intrepido pectore, dignoque ausu retuderunt,

iva η



ἵνα ἡ ἀλήθεια τῆς εὐαγγελίας διαμείνη πρὸς ἡμᾶς. Gal. II, 5. Nolo actum agere, & crambem toties coctam apponere; Sed cum multi, qui sibi vel πολυδικώτεροι, vel εἰρηνικώτεροι videntur, existiment, has controversias leviculas esse, indignasque, quapropter tanta animorum concertatione depugnetur, mihi propositum est, rationibus tantum inconcussis asserere, *quanti intersit, in recentioribus de Verbo Dei scripto controversis, veritatem manere nobis intaminatam. Quo ipso si cui non videbimur novi quid proferre, sed ad δι. κράμβην subinde prolabi, illam tamen, novo quasi jure conditam, proposituisse existimabimur. Deus autem, cujus præcipue gloria hic agitur, robur & intellectum nobis largiatur, per eum, qui veritatis fundamentum & apex est, Christum!*

ORDO I.

IPSUMMET SALUTIS MEDIUM  
SPECTANS.

THESIS I. HETERODOXA,

*Scriptura Prophetica & Apostolica, principium cognoscendi credendorum agendorumque est; Verum non sola, sed revelationibus immediatis necessario jungenda, utpote ex quibus & illa lumen accipit, & incognita hætenus mysteria & nova dogmata panduntur, & manifestantur.*

§ I.

**T**ota historia non modio aut trimodio, sed integris plaustris nobis admetitur infelicia eorum nomina, qui portentosam hanc sententiam ausi sunt sustinere. Neque enim



inter eos tantum, qui Christiani vocantur, extiterunt, qui revelationes jactitarunt; Sed & inter Judæos & Mahumedanos, & ipsos denique gentiles quandoque exorti sunt, qui de intimo quodam cum Deo commercio sunt gloriati. Nos illos, qui Scripturas prorsus repudiant, missos facimus, & de iis tantum acturi sumus, qui Scripturis quidem aliquem, non tamen omnem, locum relinquunt: Sed duo comprincipia, Verbum scriptum, & immediatos Dei afflatus, seu revelationes, prædicant, quibus & fides & vita nostra, ceu fundamentis innitatur. Quorum sententia ut plenius constet, (1.) utrumque paræ authoritatis, divinæ scilicet originis esse, existimant. (2.) Utrique suam vim atque efficaciam assignant, normativam scilicet, & judicariam, quid creditu factuque opus sit iis, qui ad æternæ beatitudinis sedem contendunt. Ita tamen (3.) ut neutrum in se sufficiens sit ad fidem & mores, Christiano dignos; sed utrumque per se quasi indigum & imperfectum, alterius opem poscat & efflagitet. Et denique (4.) quidem, ut major sit dignitas & authoritas revelationum, quam Scripturarum; quippe cum hæc ab illis certum & clarum sensum quasi mutuari debeant; & in iis, ubi deficient, supplementum accipere. Quæ Fanaticorum mens satis elucescit ex Verbis Roberti Barclaji, qui cum passim protestetur, *se non nisi de salutifera, certa & necessaria Dei cognitione loqui, quæ non acquiratur aliunde, quam Spiritu, p. 12. Apol. S. VII. ait: Puto, neminem negaturum, Dei cum homine communionem ab Adamo ad Mosén fuisse per immediatam manifestationem Spiritus. Et postea, temporibus legis, non alio modo filios suos allocutus est: Quod sicut facile sequitur ex propositionibus, ante probatis; ita negari non potest, ab iis, qui sacras literas Sancti Spiritus inspiratione scriptas fatentur. Illa enim Scriptura a, Mose ad Malachiam usque satis testantur, toto illo*

*tempo-*



tempore DEUM semetipsum filiis suis interno Spiritu reve-  
lasse.

§. II.

Maximi vero interesse, ut hi errores refutentur, & soli Verbo Scripto ea constet dignitas, quæ ad Principium Christianismi requiritur, ex sequentibus ad oculum ostendimus. (1.) Quia asserto alio, præter Scripturas, fidei & vitæ principio, diserte contradicitur SS. Literis, quæ sibi solis hoc axioma vendicant: Ita enim *Es. IIX, 20. Ad legem & testimonium, quod nisi dixerint, non est iis matutina lux.* Et Paulus jubet, suo exemplo discere, τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν. *1. Cor. IV, 6.* Quorsum & Christus, Abrahami interpres, *Luc. XVI, 29. Ἐχρησάμην Μωσῆα καὶ τῶν προφητῶν ἀκροάτωσαν αὐτῶν.* Jam, si præter Scripturas & revelationes audiendæ, annon hoc pacto Paulo contradicitur? Annon Spiritus S. mendacii coarguitur? Quo quid blasphemius in Deum cogitari potest? (2) Cum hoc pacto convellantur ea Scripturarum testimonia, quæ sufficientiam S. Codicis adstruunt; simul etiam totius Scripturæ veritatem & authoritatem labefactari necesse est. Quo ipso quid perniciosius confingetur? Sane Ecclesia tota, quæ ἐποικοδομηθεῖσα ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν, ὄντων ἀκρογωνιῶν αὐτῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, dicitur *Eph. II, 20.* destructo fundamento, in ruinam præceps ibit. (3.) Nihil speciosius produci posset, pro confirmando Papistarum errore, quod Scriptura ex traditionibus Ecclesiasticis & Pontificis scrinio pectorali & lucem & authoritatem desumere debeat, quam hoc assertum Fanticorum: Nam & Papistæ Rhadamanthum suum ἐν θρονώσειον, cum sedet, gloriantur; & traditiones suas ex arcano Dei consilio derivandas, dictitant. (4.) Et nova quidem dogmata, nova item morum præcepta, nobis ex revelationibus immediatis innotescere debere, ita absurdum est, ut  
ratio



ratio illuminata ad talia exhorrescat. Quid enim ultra requiri potest præceptorum, præter ea, quæ vel διαρρήδην in Decalago *Exod. XX, 1. seqq.* vel κατὰ τὴν διάνοιαν habentur? Nisi forte talia, quæ præcepta Dei subvertant; quæ vero eo ipso produnt, quo Spiritu orta sint, quia ἀκυρῶσι τὴν ἐν Ἰουδαίᾳ ἡτῆ θεῷ. *Matth. XV, 6.* Quid etiam desiderari posset ad nostram innocentiam, præter eam, quam Christus obsequio suo acquisivit, omnibus numeris absolutam, legis impletionem? Quæ cum nobis in Evangelio plene planeque offeratur, quid expectemus revelationes? Quorsum immediatum dubiumque affatum, qui & ipse, ut genuinus esse comperiatur, ad Lydium Scripturarum lapidem esset exigendus. *Gal. I, 8. 9.* (5.) Quas turbas concitarit hæc fides, revelationibus immediatis habita, quomodo omnes status Hierarchicos concusserit, & ipsi adeo imperio Romano ruinam minata sit, videri potest apud Sleidanum ad Annum 1535. Summatim vero apud Calvoer. *Fiss. Sionis L. XVI. c. 11.* Proinde tanti interest, ut Scripturæ integritatem normandique munus vindicemus soli, ut eo neglecto, spem salutis nobis eripiamus, supera inferis misceripatiamur, & ut verbo dicam, de fide atque vita Christiana pariter conclamemus.

## THESIS II. HETERODOXA.

*Non olim modo Deus angelis ministris usus est ad homines; sed eos hodiernum subinde ablegat, ut ipsis revelatoribus, arcana nobisque salutaria Dei consilia discamus, fide atque vita sequenda.*

### §. I.

**N**on prima tantum, quæ Apostolos excepit, ætas, suos habuit Angelicos, qui Philosophiam Platoniam cum

cum



cum doctrinis Evangelicis permiscentes, Angelis divinum cultum deferabant, & ipsorum revelationes atque apparitiones jaetabant; Sed & sequiora tempora exhorruerunt eos, qui hujusmodi Angelorum manifestationibus plus justo tribuerunt. Observare hoc licet in Mahumedanis, quorum Alcoranus hujusmodi colloctiones jaetat; praecipue autem in Pontificiis, qui & cultum angelorum ita pervicaciter aemulantur, & ab ipsorum colloquiis ita pendent, ut genuini Angelicorum discipuli merito censeantur. Nostra etiam aetas vidit & deploravit non paucos, qui de clandestino cum angelis congressu gloriati, inde sibi arcanorum veritatem arcessendam statuerunt: Non paulo certe peiores Numa illo Pompilio, qui, ut fidem sacris, a se excogitatis, faceret, & divinam auctoritatem conciliaret, congressus nocturnos cum Dea Aegeria finxit Liv. L. I. c. XIX. Nam quidem ille reipublicae, populique ad leges civiles componendi ergo, haec comminiscabatur; hi autem serio nugas agunt, revera tales consuetudines sibi evenire, praedicantes. Et negari utique nequit, sub auspiciis maxime N. T. apparuisse subinde angelos quibusdam; Sed illa tempora erant, quibus miracula Deo necessaria visa, ut veritas, quae tamdiu pressa fuerat, reciperetur facilius, & Christi Deitas manifestaretur, *Job. II, 11. IV, 48.* Neque tamen angeli illi nova vel dogmata, vel morum praecpta tradiderunt; sed vel homines, quos accesserunt, de officio ad praescriptum antiquissimae legis praestando, commonefecerunt, ut ille Josephi monitor *Matth. I, 20.* Vel imminentem vaticiniorum impletionem indicarunt, magna severitate ad Prophetarum scripta provocantes, ut ille *ἐνανθρώπησεν* Filii Dei ebuccinator. *Luc. I, 28. seqq.* Tantum etiam abest, ut angeli illi ministerium hominum contemserint, qui mos est maleferiarum nostri aevi, ut potius ad  
illud



illud, ad confirmandos animos idoneum, studiose ablegarent. vid. *Act. X, 3. seqq.* Proinde in illis exemplis illi, qui hodie ejusmodi visa jactant, nihil vel præsidii, vel prætextus inveniunt.

§. II.

Tanti vero interest, ut angelorum apparitiones, tanquam fidei vitæque normam, admittendas, inficiemur, ut & contrarium sentientes, quibuscunque modis oppugnandos, & ex fidelium cœtu proscribendos existimemus. Nam (1.) ubi promissum ullum extat vel apud Prophetas, vel apud Apostolos, quod tales visiones unquam expectandæ? Et, si cui evenerint, ubi (2.) mandatum, ut illis assentiamur? Certe Abrahamus, dum epulonis fratribus mortuorum apparitiones denegat, amandatis ipsis simpliciter ad Mosen & Prophetas *Luc. XVI, 29. seqq.* Haud obscure quoque innuit, ostentis Angelicis parum fidei esse habendum. Imo, si Petrus τὸν προφητικὸν λόγον βιβαιοτέρων cœlestibus visis, Christo licet præsentis factis, docuit *2. Petr. I, 19.* Quæ dementia esset, ad incertas apparitiones recurrere, cum solidissima, omninoque inconcussa Scriptura stare liceat? (3.) Fastidium illud Scripturarum innuit, & prurium quendam novitatis, qui ethnicæ levitatis animum arguat, in Christiano utique non ferendum. (4.) Quæ etiam dementia est, omissis fundamentis, quæ, subruï prorsus nequeant, salebris & sobulo superstruere? Quasi vero sapientiæ quædam species sit, fastiditis solidis cibus, fumo pasci velle? Aut, repudiata clara luce, præoptare, ut in tenebris micare liceat, (5.) Imbecillitati nostræ, quæ fulgorem Angelicum non fert, consulturus Deus, Hierarchiam Ecclesiasticam ex hominibus constare voluit; alios Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, & alios denique Doctores constituit *Eph. IV, 11.* Temerarius itaque ausus est eosdem

dem



dem clandestinos doctores adsciscere, & sortem, viribus suis majorem, optare. (6) Quis prædem aut sponforem aget, eum, quo cum res fit, album, non nigrum esse angelum? Ut enim Æthiopes diabolum alba specie pingere perhibentur; ita ipsi tenebrarum Principi nihil usitatius est, quam mentiri angelum lucis. 2. Cor. XI, 14. Quid ergo pronius est in tali casu, quam, non dicam pro Junone nubem, sed pro vita mortem amplecti? (7.) Prorsus fieri nulla ratione potest, ut vel Legi, vel Evangelio accedat quicquam novi, quod Scripturis diviniis non contineatur? Si autem ibi reperitur, ubi absque erroris aut seductionis periculo legi potest, qua levitate idem ex indice tali petemus, qui non absque deceptionis metu audiri potest? Aut, si omnino novi quid vel dogmatis, vel mandati afferatur, quod a veritate sit alienum? (8.) Nihil apparentibus spiritibus credendum esse, nisi prius explorentur, asserit Johannes: *Μὴ παντὶ πνεύματι πιστεύετε, ἀλλὰ δοκιμάζετε τὰ πνεύματα, εἴ ἐκ τοῦ θεοῦ εἰσὶν.* 1. Job. IV, 1. Quorsum itaque nobis eam fidei morumque regulam, quæ ipsa, rectane sit, an curva, prius ipsa sit exploranda? Quin potius ad ipsam, quæ rectum illud pravumque monstrat, Scripturam properamus? (9.) Exosculamur itaque aurea Pauli verba: *Ἐὰν ἀγγελοῦ ἐξ ἕραν εὐαγγελίζῃται ὑμῖν, παρ' ὃ εὐηγγελισάμεθα ὑμῖν, ἀνάθεμα ἔστω.* Gal. I, 8.9.

### THESIS III. HETERODOXA.

*Præter verbum externum datur & internum illuminationis principium, per introversionem animadvertendum.*

#### §. I.

Quocunque nomine placeat insignire hoc verbum internum, five lumen internum, five Christum internum,  
B
five



five scintillulam imaginis divinæ, se i alio quocunque pacto appellemus; rem ipsam non dubitamus ex Pythagoræ atque Platonis disciplina derivare. Ita enim Cicero Cat. Maj. c. XXI. *Cum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria præteritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tanta scientiæ, tot inventa, non posse eam naturam, quæ artes eas contineat, esse mortalem: cumque semper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia se ipse moveat, ne finem quidem habiturum esse motus, quia nunquam seipse sit relicturus; & cum simplex animi natura esset, neque haberet in se quicquam admixtum, dispar sui atque dissimile, non posse eum dividi: quod si non possit, non posse eum interire: magnoque esse argumento, homines scire pleraque ante, quam nati sint; quod jam pueri, cum artes difficiles discant, ita celeriter res innumerabiles arripiant, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci & recordari.* Hæc Platonis fere. Et hac opinione de προῦπάρξει animarum ante nativitatem, seu delibatione earum ex universa mente divina, ut paulo ante Cicero vocarat, istud de interno lumine παραλήθημα ortum trahere, non est dubium. Varie deinceps nuncupatum, sub diverso etiam χήμασι subinde repræsentatum fuit, & modo hos, modo illos habuit patronos & interpolatores, eosque gentiles, Mahumedanos, Judæos, & eos, qui Christianorum nomen præferunt, Pelagianos, illosque modo crassiores, modo subtiliores. Simulatque enim viribus naturalibus eam vindicamus præstantiam, ut ad sui ad Deum conversionem valeat aliquid conferre, etiam asserimus lumen illud internum: Siquidem vires humanæ, si lumine cassæ fingantur, sunt utique nullæ. Quæ quia manifesta sunt, nolumus plenius explicare. Neque etiam in destruendis, quibus niti volunt, argumentis occupabimur; Nam illa vel in male applicatis Philosophorum placitis, vel in temere detortis Scripturarum oracu-

oracu-



oraculis consistere, cum experientia docet, tum a celeberrimis Theologis abunde est demonstratum.

§. II.

Nos, ut methodum receptam sequamur, tantum ostendamus, quanti referat, illud verbum internum negari prorsus, & solis SS. Literis illam auctoritatem assignari, ut illuminare & convertere nos ad Deum queant. Conficiemus illud p. ex Scripturis divinis, p. ex rationibus, prorsus certis. Et Scriptura quidem (1.) homini ψυχικῶ, seu animæ suæ viribus insistenti, derogat omnem intellectum rerum, ad conversionem pertinentium. οὐ δέχεται γὰρ τὸ πνεῦμα τὸ θεῶν, καὶ οὐ δύναται γινῶσθαι I. Cor. II, 14. Quæ γινῶσις cum sit principium seu initium illuminationis, ubi locum non habet ullum, ibi neque verbum tale, unde procedat, existere potest. (2.) Cum Rom. IIX, 7. Φρόνημα τῆς σαρκὸς dicitur, ἔχθρα εἰς τὸν θεῶν inimicitia ipsa in Deum, validissime asseritur, ratiocinationem omnem, quæ ex naturæ viribus procedit, esse a regno lucis divinæ alienissimam. Id quod, unde arcessendum sit, nisi ex defectu luminis interni, dispici omnino nequit. (3.) Quorsum facit quoque, quod omne figmentum cordis humani dicitur tantum malum a pueritia. Gen. VI, 5. IIX, 21. Quasi asseratur, deficiente lumine interno, deficere etiam ratiocinationem veram & ingenuæ lucis capacem, & caliginem inde in omnes hominum actiones diffundi. (4.) Ejusdem momenti sunt locutiones parabolicae, allegoricae, & tropicae, quibus ad exprimendam ἀδυναμίαν nostram nativam utitur Spiritus S. in Scripturis. Ut cum homines, sibi relictī, dicuntur tenebræ Eph. V, 8. Ἔσκοτιμένοι τῇ διανοίᾳ Eph. IV, 18. Ager, semine divini verbi conferendus, ex se non nisi lolium protrudens Matth. XIII, 3. Luc. IIX, 4. terra, imbre divini verbi, si fructificare debeat, irriganda. Es. LV, 10. (5.) Hinc Apostolus inducit gentiles, qui ingenii viribus

B 2

& ve-



& vestigiis naturæ insistentes, ἐμβαλιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν *Rom. I, 21.* Eo ipso arguens, διαλογισμὸς, solo interno vel lumine vel verbo suffultos, non nisi ad μαλαίωσιν valere. (6.) Neque est, cur quis hic particularismum quendam statuere, & quosdam ab hac inopia lucis internæ eximere velit, cum Apostolus testetur, πάντα ὑπερέσθαι τῆς δόξης τοῦ θεοῦ *Rom. III, 23.* Et eo nomine adæquata fiat appositio inter gentiles, & Dei populum, quod illi in tenebris habitent, hic autem luce circumfulgeat. *Es. LX, 2. seqq.* Quæ omnia confictum illud animæ verbum validissime destruunt. Accedunt tamen rationes, quæ & ipsæ non parum ponderis habent. Cum enim (1.) a Dei verbis in solidum pendere iubeamur *Deut. IV, 2.* Et, ut vetus verbum habet, a Deo discendum, quid de Deo sentiendum; Liquet, tantum verbo scripto decedere, quantum huic interno accedit; Et, si quæ illuminandi nos dignitas, innato cordis dictatori assignetur, jam non amplius universalem normam credendi vivendique esse Scripturas; secus atque voluit *Esaias c. IIX, 20.* (2.) Manifesto Scripturis adimitur sua dignitas, si asseratur, internum illud verbum nobis ostendere nova, & in Scripturis non extantia, necessaria tamen ad illuminationem & conversionem. Itane vero Deus, qui dixit, quod illi, qui Scriptis adhibeant fidem, habituri sint vitam æternam *Job. XX, 31.* insimulandus est falsitatis? (3.) Quis autem ad concordiam reducat illa tot capitum diversissimorum diversissima verba? Cum res ipsa loquatur, verbum illud, quod post lapsum in nobis residuum, & legale totum est, neque ad illuminationem, proprie dictam, ullatenus pertinet, varie inquinari & corrumpi, prout cujusque affectus ex temperamento corporis vel ὀργὴν sumunt, vel sufflaminantur. Tanti ergo interest, Verbum solum agnosci pro medio illuminationis; quanti interest, unumquem-



quemque in rebus, ad salutem animæ spectantibus πληρο-  
 Φορεῖσθε. Rom. XIV, 5.

#### THESIS IV HETERODOXA.

*Experientia interna usque adeo necessarium sibi inter  
 principia Doctrinæ Christianæ locum deposcit, ut,  
 ea repudiata, multis notitiis carendum sit, quas  
 illa aperit, quæque in Scripturis vel plane non, vel  
 certe non ita plene continentur.*

##### §. I.

**E**xperientiæ magnum est momentum, magna utilitas,  
 cum in universa vitæ ratione, tum in Christianismi præ-  
 fertim officiis : Nam & scientiam confirmat & fidem at-  
 que spem corroborat. Proinde tantum abest, ut eandem  
 improbemus; ut potius utramque, & internam & exter-  
 nam, si recte capiatur, magnis laudibus efferamus, & in  
 Christianis requiramus. Si enim Apostolus merito taxavit  
 eos, qui ἀπειροὶ λόγῳ δικαιοσύνης Ebr. V, 13. agunt; Imo si  
 jure collaudavit Christum, πεπειρασμένον κατὰ πάντα Ebr. IV,  
 15. Quis aufit experientiam omnem simpliciter damnare?  
 Certe τὰ διὰ τὴν ἔξω αἰσθητήρια γεγυμνασμένα non aliunde sunt,  
 nisi ex experientia : Cum vel verbum, auditione vel le-  
 ctione præceptum, & in anima asservatum, diligenter me-  
 ditamur, & in solatium nostrum atque excitationem sedu-  
 lo applicamus, quæ interna nuncupari potest; vel cum ex-  
 ternis pietatis partibus, aut adversis crebro exercemur,  
 quo sensu sancti Dei homines olim ἑμπαιγμῶν καὶ ματίγων  
 πείσαν λαζόντες dicuntur Ebr. XI, 36. quam externam experi-  
 entiam appellare nihil prohibet. Sed Fanaticam illam me-  
 rito abominamur, quam quidam usq; adeo extollunt, ut &



perhibeant, quod eadem vel pleniora, vel prorsus alia tradantur, quam quæ verbum scriptum revelavit: De ea interna dictitant, quod consistat vel in interno raptu animæ, ejusdemque quasi evectione extra semetipsam, qua, Deo quasi vicinior facta, hætenus incomperta experiatur: Vel in crebrius repetita introversione ad intelligendum animadvertendumque verbum innatum. Hæc vero utraque, cum spurio nitatur fundamento, & principio commentitio, non absque summa causa nobis suspecta, & detestanda judicatur.

§. II.

Quanti enim intererat, Protoplastos nunquam audivisse blandimenta Satanæ *Gen. III, 1. seqq.* Vel Saulem pythouissam abhorruisse *1. Sam. XXIX, 7. seqq.* Tanti etiam interest, nos fabulosam illam experientiam penitus nosse, & intime detestari. (1.) Quid magis compositum est, quam hoc commentum, ad Scripturas in dubium vocandas, & tanquam imperfectas, obscuras & inconstantes traducendas? Nam si quid præter ea, quæ scripta sunt, admittatur, tanquam necessarium ad salutem, jam non amplius credentur τὰ ἰερα̅ γράμματα σοφίαις εἰς σωτηρίαν posse: quod tamen Apostolus ait *2. Tim. III, 15.* (2.) Quanta fenestra aperietur sub hoc speciosæ experientiæ commento, quibuscunque deliriis, in proscenium Ecclesiæ invehendis? Nihil enim proclivius est, quam aniles fabulas & vanissimas nænias experientiæ hujusmodi incrustamento palliare. (3.) Experientia etiam veri nominis, quia immediate ex sensuum atque intellectus nostri actionibus nascitur, requirit regulam aliquam & normam prorsus immutabilem, ad quam illa diligenter exigatur, ne forte pro vero apprehendamus, quod glaucoma est. Norma autem illa præter Verbum scriptum reperiri nulla potest: ὅσοι τῷ κανόνι τῆς εὐαγγελικῆς εἰρήτης

εἰρήτης



εἰρήνη ἐπ' αὐτοὺς, καὶ ἔλεος. Gal. VI, 16. (4.) Scriptura eam experientiam non modo ignorat, sed & haud obscure depingit, tanquam ἐνέργειαν, τῆς Σατανᾶ, qui τυφλοῖ τὰ νοήματα τῶν ἀπίστων, εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι αὐτοῖς τὸν φωτισμὸν τῆς εὐαγγελίης τῆς δόξης τῆς χριστοῦ. 2. Cor. IV, 4. Ubi enim excœcatio fatanica manifestius patet, quam in mentibus, quæ vel ecstasibus deceptoriis, vel fictitiis animæ lumini experientiam superstruunt, quæ alias subinde easque novas veritates progignere debet. (5.) Quid demum, si quisque hujusmodi experientiæ habenas laxare vellet, inde emerfurum credimus, nisi pugnam aliquam Lapitharum, & scœdissimam θεομαχίαν, qua Deus semetipsum conficere, & suam veritatem jugulare fingeretur. Quæ, si quis meditationibus indulgere vellet, luculentius aliquanto pingi; at pro eo, ac par est, describi & explicari non possent. Satis est, liquido constare, quod, quicumque præter Verbum Dei scriptum, quod solum est θεμέλιος Eph. II, 20. aliud principium cognoscendæ veritatis admittit, in inextricabiles se præcipitet Labyrinthos. Tanti interest, contra eos, qui vel revelationes, vel angelorum colloquia, vel internum verbum, vel experientiam denique internam defensitant, manibus pedibusque depugnari.

ORDO II.

DE VIRTUTE VERBI SCRIPTI  
AGENS.

THESIS I. HETERODOXA.

*Litera & Spiritus Sanctus in Scripturis non distinguuntur*



qui modo possunt; sed & secerni & separari omnino debent

§. I.

**N**il intentatum nostri liquere Poëta, commendabili utique conatu, ut autor est *Horat. Art. Poët. v. 285.* Sed quanta ingenii humani solertia in inveniendis artibus; tanta ejusdem versutia in intervertenda veritate. At quantum illud in laude est, tantum hoc in vitio. Beneficium Dei agnoscimus, res, quæ intime invicem innexæ conjunctæque sunt, sub distinctis conceptibus nobis posse repræsentare. Quod ut intellectus nostri imbecillitatem arguit, ita ignorantiaæ medetur, dum per partes, & gradibus quasi itur, quo saltu & uno mentis actu pervenire non licet. Hinc laudamus distinctionem inter sensum Scripturarum complexum & incomplexum: Incomplexe enim Scripturas modo pro literis, syllabis, vocibus, phrasibus & integris scriptis, secreto & posthabito sensu; modo pro sensu solo, non attentis literis & phrasibus, quibus sensus intime & indivulso nexu inest, accipimus. Sed eo tamen consilio, ut meminerimus, hanc distinctam considerandi rationem & utilitatem suam spirare, & cautela sua opus habere. Complexe autem τὰς γραφὰς, & literas, ordinate coagmentatas, & sensum divinæ mentis, includere, scimus ex *Rom. I, 2. 1. Cor. XV, 3. 4. 2. Cor. III, 15.* Distinctio autem illa, quæ in animo concipientis est, rem ipsam non mutat, sed inseparabiliter conjuncta relinquit, quæ disjungi nequeunt. Inventi tamen sunt, qui literam a sensu, & ipso adeo Spiritu, deploranda certe solertia, divellere & separare conati sunt. Quorum ut alii aliis crassius errent, re ipsa tamen inter se conspirant.

§. II. Nos



## §. II.

Nos ἀγχινοίαν illam averfamur, non dubiis nixi ratio-  
nibus. (1.) Injuria illa est in Deum, qui sic perhibetur ver-  
bum, Spiritu atque sensu suo cassum, proponere. Imo,  
qui hoc pacto fingitur aliter, atque res est, loqui: Nam  
Christus quomodo dicit, Ἰὰ ῥήματα, ἃ ἐγὼ λαλῶ, πνεῦμα ἐστὶ,  
καὶ ζωὴ ἐστὶν *Joh. VI, 63*? Quomodo Paulus Evangelium, a se  
prædicatum, δύναμιν τῆς Θεῆς appellat *Rom. I, 16*. si verbum  
nudi sunt cortices & putamina sine nucleo? Et annon ver-  
bum, ab homine prolatum, & sensum suum includit, &  
Spiritum ejus, a quo proficiscitur, præfert? Numne ergo  
Dei verba infra hominum verba abjicere, par est? (2.) In-  
juria est in Scripturas, quas & vi sua, & thesauro, quem ve-  
hant, exspoliat. Quomodo enim Scriptura habebit eam,  
quæ ipsi propria esse dicitur, *Jer. XXIII, 22*. convertendi  
vim, si Spiritu Sancto caret, cujus est διανοίγειν τὴν καρδίαν  
*Act. XVI, 14*. Quomodo Paulus dicere potuit, se prædicare  
κρείσσον ἐσται ῥωμένον, Θεῆς δύναμιν ἢ Θεῆς σοφίαν. *1. Cor. I, 23. 24*. Quo-  
modo item Christus veniet, κατοικήσει διὰ τῆς πίστεως ἐν ταῖς  
καρδίαις *Eph. III, 14*. Si Scriptura est Spiritus Sancti expers,  
& mera litera? (3.) Injuria denique est hæc sententia in nos-  
met ipsos, quos circumveniri hoc verbo, & inani spe la-  
ctari necesse est, si virtute divina & Spiritu gratiæ destitui-  
tur; Sic cum Apostolo inferendum esset; ματαία ἡ πίστις ἡ-  
μῶν ἐτι ἔσται ἐν ταῖς ἀμαρτίαις ἡμῶν ἐλεεινότεροι πάντων ἀνθρώπων  
ἴσμεν. *1. Cor. XV, 17. 19*. Quæ vero omnia Deus indulgentis-  
simus a nostra fide quam longissime prohibesit!



THESIS II. HETERODOXA.

*Si tamen Verbo Dei scripto virtus quædam & effica-  
cia est tribuenda, ea nequaquam effectiva & pro-  
ductiva, sed tantum representativa agnoscenda  
est.*

§. I.

**R**epresentandi, docendi, testandi, informandi virtus,  
quæ objectiva alias dicitur, Scripturis eo ipso compe-  
tere dicitur, dum ἐσὶ ὀπίρρω, seu speculo comparantur. 1. Cor.  
XIII, 12. Imo hæc ipsa objectiva vis ipsi necessario adscri-  
benda est, quia alioqui, quo pacto sensum divinum nobis  
proponere possit, intelligi nequit. Sed de eo non quæritur  
nunc an omnino aliqua vis objectiva verbo insit; Verum,  
anne illa sola ipsi ita competat, ut, præter illam, nihil ef-  
ficaciæ assignandum sit Scripturæ, ad producendam in no-  
bis fidem & conversionem? Ubi fanaticam esse opinionem  
dicimus, veram efficiendæ & producendæ conversionis vim  
verbo denegare; Etsi miris strophis, qui hanc sententiam  
tuentur, utantur, & undecunque prætextui suo patrocini-  
um quærant. Nomina ipsorum & argumenta ex iis, qui  
masculè contra eos depugnarunt, peti possunt: Nobis, pro  
instituto, satis est, validissimis rationibus hunc errorem  
convincere, & Scripturis suam dignitatem vindicare.

§. II.

Quod ut conficiamus, longe plurimæ nobis suppe-  
runt rationes: Nam (1.) Illuminat verbum oculos Ps. XIX.  
9. Lucerna pedibus nostris est, & lumen semitis. Ps. CXIX,  
105. Quæ autem lucis natura sit, in aprico est, scilicet, non  
splendere tantum, sed & illuminare, & motu suo excita-  
re oculos. Ita & verbum suam nobis lucem ingerit, & nisi  
obex



obex ponatur, potentissime movet. (2.) Regenerat & fidem producit: Siquidem est ille Spiritus, ex quo renascimur *Job. III, 5.* collato *i. Job. V, 8.* Neque etiam baptismus *λῆτρον παλιγγενεσίας* jure dici posset *Tit. III, 5.* nisi virtute verbi id præstaret, ut homo reapse ex filio tenebrarum filius lucis evaderet. (3.) Vis inest verbo justificandi, seu nobis conferendi illam, quæ omnibus numeris absoluta est, justitiam Christi: Hinc Evangelii ministerium *διακονία πνεύματος καὶ δικαιοσύνης* *2. Cor. III, 8. 9.* & *διακονία τῆς καταλλαγῆς* *2. Cor. V, 18.* audit. Quod utique fieri non posset, nisi vim revera nos mutandi haberet. Etsi enim non inficiemur, justificationem non fieri per habitus alicujus infusionem, quo inhæsiive justifimus; id tamen negari nequit, per Evangelium nobis infundi habitum credendi, quo alienam illam Christi justitiam apprehendimus. (4.) Quod omnium luculentissime patet ex sanctificandi officio, quod optimus Servator verbo tribuit, dum ait: *ἁγιάσον αὐτοὺς ἐν τῇ ἀληθείᾳ σου, ὁ λόγος, ὁ σὸς, ἀλήθεια ἐστίν.* *Job. XVII, 17.* Consistit autem hæc verbi sanctificatio in eo, quod & fidei, & spei, & charitatis, cæterarumque virtutum habitum ingenerat, crebrioribus dein actibus sese exferentem. (5.) Imo ipsa salvatio verbo huic competit; quæ causa est, cur Apostolus dicat: *ἐπίμενε αὐτοῖς τὸτο γὰρ ποιᾶν, καὶ σεαυτὸν σώσεις καὶ τὰς ἀκούοντας σε* *1. Tim. IV, 16.* (6.) Accedunt etiam multæ appellationes symboliæ, quæ verbi vim effectivam multo liquidissime testantur. Quales sunt, cum dicitur semen fructificans *Luc. IX, 8.* ignis item, & malleus, qui petras comminuit. *Jer. XXIII, 29.* Quæ omnia nisi quis petulanter negare velit, fateri cogetur, effectivam & productivam vim verbo omnino asserendam esse. (7.) Et annon humanum verbum id pollet, ut animos flectat & mores emolliat? Quisquamne vero aufit asseverare, non parem, pro authore, efficaciam Dei verbo inesse?



THESIS III. HETERODOXA,

*Verbum Dei scriptum non aliam, quam finitam & creatam, virtutem habet.*

§. I.

**N**unquam defatigatur malitia hominum, a vero aberrantium: Nam ὁ παλῆρ τῆ ψεύδους *Joh. IX, 44.* ut nunquam quiescit, ita animos sibi devotos, otium agere non permittit: Sed, cum una non succedit, alia aggreditur via machinationes suas. Tot modis tentatum Scripturarum gloriam contaminare; cum minus ex voto evenerit, virtutem saltem creatam verbo tribui postulant. Et communicatam quidem verbo inesse virtutem, nemo negaverit; At inde ad finitam & creatam vim qui concluderit, perinde ineptit, atque qui omnipotentiam in homine Christo finitam & creatam esse putat, propterea, quia communicata est. Eleganter B. Koenigus Theol. Posit. P. III. §. 491. *Vis effectiva, quam verbo Dei, in producendo conversionis effectu tribuimus, vere divina est Rom. I, 16. nec differt quoad rem a virtute, quæ Spiritus S. operantis in cordibus hominum est, quamquam disparitas sit in modo habendi hanc vim, utpote quæ Spiritui S. ex se & a se, ceu causæ principali, verbo autem participative, ut causæ organice, competit.* Spiritus S. autem virtus finita & creata non est; pariter, ut implicat, Patris aut Filii virtutem creatam aut finitam dicere. Neque Ecclesia, cum precatur, ut Deus Spiritum suum & virtutem verbo addat, fatetur, se finitam quidem in verbo vim agnoscere, optare autem, ut infinita & æterna forinsecus in praxi accedat; Sed hoc vult & obsecrat, ut, quæ vis verbo nativa est, ipso actu sese exferat in nobis, nosque prorsus convin-

convin-



convincat. Illa vero non finita est, sed infinita, quia Dei.  
*Rom. I, 16. 1. Cor. I, 24.*

§. II.

Verum, ut paulo plenius innotescat, quanti interfit, finitam illam virtutem prorsus repudiari, & infinitam adstrui, sequentia urgemus. (1.) Dicitur verbum *πρὸς τὸν αἰῶνα ἄφθαρτον, λόγον ζωῶντα, καὶ μένοντα εἰς τὸν αἰῶνα* 1. *Petr. I, 23.* Et ne quis cavilietur forsan, hæc epitheta ad Deum referri, v. 25. appellatur, *ῥῆμα κυρίου, μένον εἰς τὸν αἰῶνα.* Quod autem æternum est, idem & infinitum sit, oportet; quia, quantum quodque habet durationis, tantum habet & cæterorum attributorum. (2.) Appellari *δύναμιν τοῦ Θεοῦ* *Rom. I, 16.* Quæ vero Dei potentia non est alia, quam infinita & increata. (3.) Concinit, quod Deus verbo suo cælum atque terram produxit, *καλῶν τὰ μὴ ὄντα, ὡς ὄντα* *Rom. IV, 17.* Quod finita fieri virtute nequit, cum inter ens & non ens infinita detur distantia, non nisi infinita potentia tollenda. (4.) Accedit, quod verbo Dei patrata miracula, seu Christi, seu hominum, ipsi deditorum, ore prolato. *Matth. XIX, 8. Act. III, 6. 7.* (5.) Neque minoris est ponderis, quod verbum regenerat, sanctificat, & potestati diabolicæ eripit homines *Luc. X, 17.* (6.) Conservatio cæli atque terræ fit per verbum Dei *2. Petr. III, 5. 7.* Unde & (7.) in precibus Ecclesiasticis oramus, ut Deus nos in verbo æterno & omnipotenti conservet. Id quod in illo *Ebr. I, 3. ῥῆμα δυνάμεως τοῦ Θεοῦ,* suum habet genuinum fundamentum.

THESIS VI. HETERODOXA.

*Geminum Scripturæ lumen est, naturale & supernaturale, gemina etiam veritas, literalis & spiritualis.*

§. I.

**A**lium arietem Scripturis intentat Satan, dum in profeni-



scenium Ecclesiæ; produxit eos, qui geminum lumen verbo adscribere ausi sunt; aliud quidem naturale, quod abs quovis lectore, etiam irrogenito, & viribus naturalibus, perspicui queat; Aliud supernaturale, quod, ut agnoscat, lectorem regenitum, & gratiæ auxiliis suffultum, deposcat. Item, veritatem Scripturis inesse geminam, literalem, quæ ex positu naturali & συντακτικῶν vocum resultat; & spirituales, quæ a Spiritu profluat, & sit, ubi πνεῦμα θεῶν πνεῖν Job. III, 8. Ut asserto color inveniatur, provocatur operose ad illud Rom. II, 20. Judæi habuerunt μορφωσιν τῆς γνώσεως, καὶ τῆς ἀληθείας ἐν τῷ νόμῳ. Indeque, quasi re explorata, infertur, ipsos capita totius Scripturæ sic intellexisse, ut & Scripturas interpretari, & errores confutare potuerint. Et intellexisse quidem ex meris naturalibus viribus; proinde necesse esse, etiam illam formam sciendorum & rectorum, non ultra literam extendendam esse, sed ad illam pertinere; & esse tantum naturalem; non supernaturalem.

§. II.

Quid autem hæc sententia periculi vehat, quanti item interfit, eam abs quovis Christiano abominationi haberi, paucis videamus. (1.) Monstrum erit Scriptura, si duplicem habet sensum; Nam sensus Scripturæ est forma. Unius autem rei, una tantum est forma, dicunt Metaphysici, & consentit tota rerum natura. Homines bicorpores inventos esse, historia testatur; sed eosdem ad naturæ errores refert. Geryonem autem triformem ad entia rationis pertinere, etiam gentiles agnoverunt. Quomodo itaque Scriptura geminam formam habere potest? (2.) Quale ens Scriptura, tale ejus lumen, talis ejus sensus, talis veritas, quam spirat. At Scriptura est ens supernaturale, ῥῆμα, εἰς τὸν αἰῶνα μόνον 1. Petr. I. 25. οἱ λόγοι μὲν εἰ μὴ παρεῖλθωσι, ait Servator optimus



ptimus *Luc. XXI, 33.* (3.) Pelagianismus est, cuiquam tribuere lumen Scripturarum, illudque pro naturali venditare. Si autem Pelagiani olim recte vocati sunt gratiæ interfectores; quis ambiget, & eos ita appellare, qui gratiæ negant, quod non nisi ab ipsa est. (4.) Imo contradictionem involvit sensum Scripturæ tenere, eundemque esse naturalem. Nam Scriptura lumen supernaturale est, quod, quam primum nobis innotuit, ὁ θεὸς λάμπει ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, πρὸς φωτισμὸν τῆς γνώσεως τῆς δόξης & θεῶ. 2. *Cor. IV, 6.* Quis vero dixerit, naturale esse, quod a supernaturali principio ortum trahit? (5.) Si duplex est sensus Scripturarum, alter naturalis, alter supernaturalis, ille minus salutaris, hic solus salutaris, qui scire possumus, nos salutarem adeptos esse? Quis aufit διὰ τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως τῶν γραφῶν τὴν ἐλπίδα ἔχειν? *Rom. XV, 4.* Si incertus hæret, sitne adeptus verum Scripturarum sensum, annon? (6.) Unde illud naturale lumen intrusum est Scripturis, quæ sunt λόγια τοῦ θεοῦ *Rom. III, 2.* Quibusque contingit ἀπὸ κάλυψις μυστηρίων ἢ χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένον. *Rom. XVI, 25.* Itane & Dei verbum, dum Dei verbum manet, alieno sensu corruptum est? Abs onum prorsus & ἄτοπον! Tanti ergo interest, hæc opinionum ἱέρατα proscribi; quanti interest, nos nomen Dei sanctificare.

## THESIS V. HETERODOXA.

*Verbum Dei, in alieno sensu acceptum, non manet Verbum Dei.*

### §. I.

**P**ergunt, pugnancia secum asserere, qui semel a veritatis tramite declinaverunt. Existimant, Verbum Dei, si in alio, quam qui ipsi natus est, sensu capiatur, non esse Verbum Dei, sed desinere hoc axioma gaudere. Illustrare

re



re; assertum; & confirmare nituntur. Dicunt: si quis verba: *οἱ ποιῆσαι τὸ νόμον δικαίωθήσονται Rom. II, 13.* eo rapiat, ut existimet, etiam legem nos justificare, eo ipso efficere, ut verba ista pro Dei verbo haberi amplius, nequeant. Item, si quis verba: *τὸ αἷμα τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἡμᾶς καθαρίζει ἀπὸ πάσης ἀμαρτίας 1. Joh. I, 7.* eo detorqueat, ut inde colligat, hanc a peccatis mundationem esse universalem, & contingere etiam iis, qui neque pœnitentia tanguntur, neque fide aguntur; eum efficere, ut illa verba non amplius sint Dei verba. Et ut aliud adhuc exemplum adjiciamus, si verba: *ὁ θεὸς θέλει πάντας ἀνθρώπους σωθῆναι 1. Tim. II, 5.* sic intelligantur, velle Deum absolute, etiam non obtenta legitima mediorum applicatione, repudiata fide, & conversione, ut omnes homines salventur; illa verba non amplius esse Dei verba.

§. II.

Monstri simile profecto est, quod ajunt, & cum ipsa ratione *διὰ πάσων* pugnat. (1.) Sic ille, qui legit Scripturas, habebit potestatem, pro arbitrato, per *μεταμορφωσιν* quandam, illas immutandi & ex dignitate sua dejiciendi: Ausu certe, cum humana imbecillitate nullatenus conciliabili. (2.) Verbum Dei, ut fit tale, quale dicitur, non habet, nisi a Deo, ejus autore, unde *θεὸπνευστον 2. Tim. III, 16.* dicitur; cum alieni sensus afflictio fit in intellectu, perperam apprehendentis. Quam itaque longe abest ille sensus intellectus errantis ab ipsa Scriptura, tam longe etiam abest ab ejus immutatione. (3.) Quid fiet de fide auditorum, si legentes Scripturas, errore suo efficere possunt, ut illæ non sint divinæ? Quando illi certi erunt, se accipere & audire Verbum Dei, si periculum est, ne illud legentis malitia vel imperitia tam horrendam subeat mutationem? (4.) Annon hominis verbum manet ejus, & retinet suum sensum, etiam si



etiam si alter forte alio acceperit, quam hic voluit? (5.) Quæ vis inerit legibus, obligandi vel ad obsequium, vel ad subeundam pœnam, si perverforum intellectui hominum tanta vis inest, ut eo efficiatur, quo minus amplius sint leges? Quod supererit societatis humanæ vinculum? Quæ dictorum factorumque constantia & fides, si alieno ludibrio nostra verba transformari queunt in prorsus alia? (6.) Quære liceat, an ne propterea, quod cœcutiens ille, cuius *Marc. IIX, 24.* fit mentio, homines existimabat esse arbores, homines illi in arbores conversi sint? Quid si quis hujusmodi tam bellos ratiocinatores arbitretur esse boves aut oves; etiam ne cum bona ipsorum gratia fiet *μεταμόρφωσις*? Proinde tanti interest, hoc figmentum, de verbo per finistrum intellectum mutabili, ab omnibus repudiari; quanti interest, nos ipsos non abs quovis maligno in quamlibet formam transfundi posse. (7.) Quid itaque restat, nisi ut dicamus, aliud substantia verbum esse scriptum, aliud item errantis mente conceptum? Eorum vero alterum in alterum abire, tam est impossibile; quam impossibile, idem simul esse, & non esse.

---

ORDO III.

DE OBJECTO, VERBUM SCRIPTUM  
TRACTANTE.

THESIS I. HETERODOXA.

§ I.

*Scriptura S. seu Verbum Dei, extra usum spectatum,  
Virtutis expers est, quæ vero in usu accedit.*

D

§. I. No-



## §. I.

**N**ovus aries, convellendo huic propugnaculo inventus; Sed in quo profecto non plus est roboris, quam in reliquis, quos vidimus. Dicunt, si nemo sit, qui legat aut meditetur scripturas, easdem virtute et efficacia omni destitui; hanc autem efficaciam tum ipsi accedere, et forinfecus velut affundi, si tractetur. Dicunt, verbum scriptum, utpote causam instrumentalem, tantum virtutem creatam, & quidem in actu primo, possidere, quæ ad effectus supernaturales, regenerationem & conversionem, non sit sufficiens; Sed, in ipso usu accedere vim & potentiam Spiritus S. infinitam, tanquam causæ principalis, eamq; precibus esse verbo impetrandam. Nobis jam superius dictum est, quid sentiamus de virtute Verbi, tantum finita & creata; quare, quod ibi diximus, hic prolixè repetere nolumus.

## §. II.

Nobis quid respondendum hic sit, ex supra dictis colligi potest: Ut tamen melius pateat absurditas asserti, dicimus (1.) Virtutem verbi a sensu ejus, & sensum a litera divellere, est nova entia fingere. Ipsum verbum est *δύναμις τοῦ θεῶ* Rom. I, 16. quæ non finita & creata; sed infinita, increata & æterna est. 1. Petr. I, 23. (2.) Actus secundus licet a primo differat, ut effectus a sua causa, non tamen potest esse præstantior, quam primus, seu ipsa virtus; cum nulla causa possit operari ultra vires suas. Si autem effectus, qualis est conversio, arguit causam infinitam, illa non nisi in virtute verbi, seu ejus actu primo, quæri potest. Jer. XXIII, 22. (3.) Falsitatis arguitur Spiritus, in verbo loquens, si verbo denegetur virtus illa conversiva, etiam in se absolute & extra usurpationem spectato: Nam Paulus non in usu, sed absolute verbum considerat, cum ait, esse *λόγον ζῶντα καὶ ἐνεργῆ*. Ebr. IV, 12. (4.) Usus est tantum appli-



applicatio virtutis, quæ rei in se spectatæ, inest : virtutem aliquam ex ipso usu in rem usurpatam redundare, rationi ipsi contradicit. Quare, si virtus infinita verbo ipsi non competit, applicari illa & usurpari nequit, eoque ipso verbo, ad effectus suos edendos, ineptum statuetur. Quod vero & absurdum & blasphemum est. (5.) Confunditur instrumentum vivum, cum mortuo. Mortuum habere virtutem insufficientem, notum est : Neque enim potest semetipsum movere & qualemcunque vim suam exferere; sed indiget, ut moveatur a causa principali; Quod aliter fit in vivo, quale est verbum, quod non movetur & elevatur a legente & audiente; sed hunc movet & elevat. 1. Cor. XIV, 24. 25. (6.) Hoc ostensurus Christus, comparat cum semine, quod non tantum spargitur Marc. IV, 14. sed & βλασάνεται v. 27. & producit herbas, spicas & frumentum v. 28. Jam quantis absurdis subscribendum erit? quanto solatio & certitudine nosmet ipsos spoliabimus, si dispuemus, verbum, remoto usu, virtutis divinæ esse expers? Tanti interest, nos fanaticas sententias damnare.

## THESIS II. HETERODOXA.

*Scriptura, si mente hominis irrogeniti concipiatur, habenda est pro litera mortua.*

### §. I.

**V**erbum Dei, seu sententia divina, ex Scripturis depromta, æque in animo hominis irrogeniti, atque regeniti foveri & asservari potest. Quis neget, cum Caiphas, impietatis mancipium, ipsum salutis nostræ fundamentum, dogma de Christo, pro toto populo immolando, in mente gesserit, & verbis expresserit? Job. XI, 50. Quis neget, inquam, cum ipse diabolus, veritatis divinæ osor perpetuus,



animo suo complexus fit hanc veritatem, Evangelii præconio viam æternæ salutis commonstrari? *Actor. XVI, 17.* Hoc itaque sicut manifestum est; manifestum item, quod impius & refractarius ipso actu non convertatur hoc verbo, quod mente gerit; ita illud tantum quæritur, anne verbum ipsum propterea fit litera mortua? Mire sibi placent novatores quidam hoc asserto: Nos autem pro mere fanatico illud, & in Scripturas injurio, habemus.

## §. II.

Quod ut, jure meritoque fieri, pateat, observamus (1.) Verbum Dei, quia tale, est *πνεῦμα ἢ ζωὴ Job. VI, 63.* quod autem in se vivum, imo ipsa vita est, quomodo a subiecto, cui inest, mortuum fieri potest. (2.) Incidere in hominem impium, verbo extrinsecus accidit; internam vero rei substantiam non mutari per externum aliquod accidens, Logicorum canon est, per experientiam comprobatus. (3.) Semen, quocum non semel Verbum Dei confertur, habet internam germinandi & fructificandi vim, sive in terram idoneam incidat; sive in granario aservetur. Ita & verbum Dei, modo integrum maneat, insitam atque nativam suam virtutem servat. (4.) Quis potest, stante hac sententia, converti? Nemo utique! Nam cum omnes homines sint natura *σὰρξ ἐν σαρκὸς* geniti *Job. III, 5. 6.* verbum in omnibus, eo ipse momento, quo in illos incidit, fiet mortuum, & erit inhabile ad convertendum. Quis autem vitam ex mortuis petat? *Rom. XI, 15.* (5.) Posito etiam, verbum Dei in homine impio esse literam mortuam, quid fiet de eodem, si prædicetur a ministro incredulo? Cum in ipso sit mortuum, cum ex ipsius ore progreditur, vitam resumere, eandemque audientibus afferre nequit, nisi quis statuere velit, posse aliquem dare, quod ipse non

non



non habeat. (6.) Donatistica opinio est, verbum, ab incredulo prolatum, inefficax esse, ab Ecclesia jamdudum damnata; Ea vero his hypothesibus ex orco quasi revocatur, cum non ovum ovo, neque lac lacti sit similius, quam ille Donatistarum error, & conclusiones, ex opinione de verbo in impiis mortuo fluentes. (7.) Verbum in intellectu impii, vel ratione sensus convenit cum verbo scripto, vel minus. Si illud, est utique, ut Dei verbum, ita vivum & efficax; Sin autem hoc, utique non Dei verbum, sed hominis errantis verbum est: Neque etiam exinde, quia verbum Dei dicitur, revera est, sed merus potius παραλογισμὸς Jac. I, 22. Coloss. II, 4.

### THESIS III. HETERODOXA.

*Verbum Dei, seu Scripturam Sacram oportet prius in nobis vivificari, quam vivificare & fructificare queat.*

#### §. II.

**T**ερατολογίας & Φορτικοῖς ἀκούσμασι hoc dictum merito annumeramus. Nam (1.) Ubinam Scriptura S. quæ sui ipsius veracissima & ingenua deprædicatrix, id de se afferit, quod ipsa in homine vitam prius accipere, quam homini dare queat? (2.) Unde illa vita in homine accedit Scripturis? Num ex homine? Sic ergo ille dabit, quod non habet, & prius erit vivus, quam vivet, quod utrumque absolum. An vero ex Deo? At ille verbum suum vivum esse testificatur, antequam ad hominem accedat. Es. LV, 10. 11. Quod effatum Dei ἀπολύτως negat, quicumque ait, illud



lud in homine demum oportere, vivificari. (3) Confunditur, hoc pacto subjectum, homo, cum verbo, intolerabili profecto inscitia: Hominem, accessione verbi, vitam nancisci ex Deo, teste Scriptura discimus *Eph. IV, 18. Gal. II, 20.* Sed verbum ipsum vitam indipisci, toti Scripturarum consensui adversatur. (4.) Quid opus est verbo ad nostri vivificationem, si ipsummet verbum in nobis, vel a nobis prius vitam accipere debet, quam largiatur. Nam, quod verbo in nobis vitam largitur, annon nobis eadem opera, seposito licet verbo, largiri posset? (5.) Non erit *πνεῦμα*, antequam mente nostra recipiatur, si in nobis vitam accipere debet: non erit Evangelium præconium Christi, *1. Cor. I, 24.* si in nobis demum vivificandum; nisi asserere libeat, Spiritum Dei & Christum ex mortuis vitam induere.

#### §. II.

Afferitur quidem, pro incrustanda sententia, sensum esse: *Verbum Dei, quamvis in se vivum sit, vitam tamen non exserere in homine, nisi hujusdam respectu vivificetur.* vid. B. Schelgu. *Synops. Controv. p. 35.* At quid non absurditatum in hoc verbo continetur? (1.) De verbo ipso sermo est, quod vivum esse prædicatur, & tamen vivificandum perhibetur. Erit itaque mortuum, quia vivificandum; & falso asseretur vivum, nisi forte quis dicat, non esse necesse, ut idem vel sit, vel non sit. (2.) Toto cælo differunt, vitam exserere, vitam habere, & vitam producere. Vitam habet verbum, per ipsammet suam essentiam *Act. VII, 38.* Vitam exserit eo ipso, dum hominem illuminat, & notitia supernaturali instruit, & animum ad assensum stimulat, atque sollicitat. Vitam producit, dum absque repugnantia admittitur. In quibus ut manifestus ordo datur, ita citra turpissimam *ἀπαιδευσίαν* confundi non possunt. (3.) Is, cu-  
jus



jus respectu vivificari verbum dicitur, vel est omnis homo, vel quidam tantum. Si omnis, quid opus est, respectu ejus demum vivificari? Itane verbum, revelatione nobis communicatum, in se indigum & mancum erit, vitam demum, cum opus est, accepturum? Sin quidam tantum, Deus erit non omnium Pater benevolus, qui non erga omnes æqualem voluerit verbi sui efficaciam; sed paucorum tantum erit, qui sunt absoluti decreti rivuli. (4.) Denique neque soli conferendum prius lumen est, quam illuminet; neque semini vis progerminandi, quam progerminet, neque igni vis urendi, quam urat; neque aquæ humectandi, quam humectet; neque verbo vivificandi, quam vivificet; Sed hæc omnia eam, quam diximus, virtutem habent eo ipso, dum sunt, quod sunt.

### THESIS HETERODOXA.

*Scriptura incipientium medium est, provectoribus non necessarium; quippe qui immediate a Deo erudiendi & corroborandi sunt.*

#### §. I.

**N**auseam hoc sapit erga bonum Dei verbum, quasi pœniteat, unde cœperis Dei filius fieri, per illud in gratiæ statu conservari. Sunt tamen, quibus pulchrum videtur, incipientibus solis Scripturas, tanquam conversionis medium concedere; adultioribus autem immediatas revelationes destinare quasi jam in intimiorem cum Deo congressum & amicitiam admissis. Referuntur huc quoque raptus ecstatici, colloquia cum angelis, & alia hujusmodi, quæ olim obtinuerunt! Nunc autem, completo & ob-  
gna-



gnato Canone, cur expectemus, nullæ rationes suppetunt, sed potius in contrarium nituntur argumenta gravissima.

§. II.

Nos illa potissimum annotamus (1.) Fastum, & aliquid communi Christianorum forte majus sapit, immediatos gratiæ divinæ allapsus expectare, cum usitatum totius Ecclesiæ pabulum sit verbum Dei scriptum. *Job. V, 39.* (2.) Nullum aliud, gignendæ fidei medium nobis a Deo suppeditatum est, præterquam verbum Dei scriptum; illud, cum ejus ope adoleveris, repudiare, & aliud conservandæ roborandæque fidei medium quærere, temeritas non levis est; qualis ejus, qui, cum in sicco natus sit, sine cortice & utribus, mari se committere velit. (3.) A quo quid dependet in fieri, ab eo etiam dependet in conservari, canon est, ubique in disciplinis receptus. At ille tamen, qui ubique verus est, hic falsus erit, si post acceptam regenerationem, verbum omittere, & aliunde conservationem in illo statu præstolari licet. (4.) Ubi etiam habemus illud promissum, quod in fide adulti, extra verbum scriptum, immediatis revelationibus niti, possint? Certe, si fas non est, ὑπὲρ ὃ γέγραπται, *Φρονέτω 1. Cor. IV, 6.* minime omnium fas erit, in re tanti ponderis, qualis est, quæ unicum salutis nostræ principium spectat. (5.) Improvide saltim agit, qui relicta via explorata, aliam, minus tritam, dubiamq; sequitur, eoque ipso, quod in errandi periculum se conjicit, stoliditatis notam incurrit. *πῆλιν in via salutis requiritur Rom. XIV 23. & πεπεσμένον* fit. *Rom. IIX, 38.* quicumq; fide certus esse vult. At quomodo fide certa nitetur, qui credulitatem adstringit incertis fluctuantibusque principiis? (6.) Prudentior erat Davides, qui quascunque tentationes hujusmodi rationibus omnibus compescebat, ne a lacte verbi divini depel-  
lere:



leretur; satis gnarus, hujusmodi depulsionem sibi non minus noxiam fore, quam tenelli infantis a lacte materno. *Psalms. CXXXI, 3.* (7.) Ejusdem sententiæ Paulus quoque erat, qui Timotheum suum, jam confirmatæ fidei virum, non aliorsum, quam ad ἀνάγνωσιν amandabat. *1. Tim. IV, 13.* Videbat enim, ipsum a teneris Scripturas lectitasse, indeque concepta fide, Christo insertum: Quare, quo medio hoc χάρισμα adeptus erat, eo etiam alendum fovendumque esse existimabat. (8.) Quid, quod ipse quoque, etsi in cœlo tertio edoctus *2. Cor. XII, 4.* adhæsit meditationi Scripturarum? Quorsum enim alioqui, interpretabimur illud: *2. Tim. IV, 13. Ερχόμενοι, φέρτε τὰ βιβλία, μάλιστα τὰς μεμβράνας.* Ita B. Joh. Gerhardus ad hæc: *Quam necessariam sibi ducere debeat Episcopi Scripturæ lectionem, ex hoc loco colligitur, cum Paulus, in tertio cœlo de mysteriis religionis Christianæ edoctus, ac per tot annos Apostolatus munere functus, libros, quos legat, desideret.* (9) Supervacaneum esset, immediatas poscere Dei manifestationes, cum & Scripturæ sufficiant, & is, qui tale quid postulare aufit, diffidentia quadam agi, existimandus sit.

#### ORDO IV.

### DE VERSIONE B. LUTHERI.

#### THESIS HETERODOXA.

*Lutheri versio, sicubi a veritate authentica deviare, animadvertitur, quacunq; occasione, seu inter eruditos, seu inter plebejos versemur, emendari & corrigi debet.*

#### §. I.

**V**eritatis nobis magna debet esse dignitas, quia pro ea acquirenda Dei Filius, relicta gloria sua, miseriam sub-

E

iit



iit *Job. I, 17. 18.* idque propterea, ut per illam sanctificemur *Job. XVII, 17.* Sed ut non omnes capaces sunt omnium dogmatum; ita salis grano opus est in proponenda veritate: Nam & Christus aliquando discipulis moram indulgit, qua capiendis mysteriis fierent habiliores, & Paulus non omnia, quæ licita essent, conducere ubique, prudenter animadvertit. *1. Corinth. IX, 19.* Idem sentimus merito, cum de eruenda ex fontibus veritate quæritur. Non inficiamur, (1.) authenticum Bibliorum Textum versionibus quibuscunque infinitis modis præcellere, quia ipse Deum habet autorem, qui ea lingua hominibus arcana consilia eloqui voluit. Unde & (2.) quicquid est versionum, ad hunc exigi & examinari debet; Nam, quæ cum ipso consentiunt, acceptanda, quæ dissentiunt, repudianda sunt; ita ex his fundamentis versiones robur suum mutuuntur. (3.) Neque parum prodest, emphases vocum Ebraicarum & Græcarum ostendere: Siquidem cuique linguæ sua est indoles, suus genius; Et, quæ in originario sermone cum acumine subinde dicta sunt, non in quamvis linguam pari felicitate transfunduntur. (4.) Utuntur hac libertate eruditi, & cum ipsi inter sese miscent sermones, liberrime ad hos fontes commeant, & abstrusa cœlestium thesaurorum adyta, nemine contradicente, recludunt. Hoc tantum permagni interest, quibus præsentibus, & arbitris, taxentur versiones, Lutheri præsertim, quæ nobis vernacula est, & Christianorum in Germania vulgo credendi vivendique norma est & cynosura. Hanc itaque passim & promiscue perstringi, & obelis configi, nefas esse ducimus.

§. II.

Nam (1.) ingratae mentis *ἰερουργίον* est, cum tanta in Ecclesia emolumenta contulerit B. V, redhostimenti loco, facere ut ejus labor vilescat & sordescat, qui nobis tantum  
pro-



profuit, ut per ipsum ex tenebris in lucem emergeremus. (2.) Annon arrogantia hoc est, & jactantia, sumere censoriam virgulam in hujusmodi laborem, qui, si nobis committeretur, non modo non politior, sed & infinitis modis imperfectior esset proditurus? (3.) Si Apostolus recte judicavit, se accepisse *ἰξυσίαν, ἧν εἰς καθάρεισιν, ἀλλ' οἱ οὐ κοδομήν* 2. Cor. XIII, 10. Qua conscientia nos viribus atque donis abutemur ad confundendos tot infirmos? Neque enim fieri potest, quin religio, a B. Viro repurgata, fordere incipiat imperitis, si toties illud ejus opus, quod primarium fuit, reprehendi audiant. (4.) Hinc ipsa quoque Biblia in contemptum veniunt, quæ multo maxima imperitorum, pars non novit alia lingua, quam vernacula, extare. Quam enim fidem quis adhibeat scripto, quod tam variis atque magnis erratis refertum esse, toties auditur? Cum primis, cum imperitiores inter defectus, qui notantur discernere nequeant, & leviculam sæpe labeculam pro capitali delicto reputent, (5.) Et quid? Annon tota docentium cohors putabitur, rebus suis negligenter fungi, cum unus vel alter Aristarchus tanta linguæ petulantia in Biblia vernacula grassatur? Annon putabuntur reliqui docentes, aut ea, quæ saluti necessaria existimantur, aut parum intelligere, aut nihili ducere? (6.) Annon vero, vel invidia teste, hæc Lutheri versio est omnium optima? Quæ enim alia cum ipsa aufit de palma contendere, non ex antiquioribus modo, sed & recentioribus? (7.) Quid autem reperiri potest, vel ad fidem, vel ad mores necessarium, quin in hac versione sufficientissime traditum & explicatum sit? Et esto in nonnullis locis illam hallucinari aliquantisper, pauca tamen illa sunt, & cum ex aliis locis abunde compensantur, tum ipsum salutis negotium nequaquam labefactant. (8.) Denique etiam, quæ ex fontibus contra versionem hanc disputantur



tur, plebis captum excedunt, & pleraque in eorum, qui proferunt, voluptatem cedunt, cum auditorii autem fructu nullo decurrunt, aut in ventos abeunt.

## §, III.

Atque hic filum abrumpimus, cum neque temporis neque instituti nostri modus patiat, ut illud longius producamus. Contenti sumus, ostendisse, quod longe plurimi intersit doctrinam de Scripturis divinis integram atq; intaminatam conservasse: Et quod æternis lacrymis deploranda mala inde orientur, si, qui hucusque exorti sunt, errores invalescere patiamur. Certe par periculum est animabus, si eas ad alios, quam Scripturarum fontes dimittamus; si Scripturis suam vim & efficaciam derogemus, si homines persuadeamus, posse Scripturam suam virtutem non erga omnes, sed quosdam tantum exercere. Necessesse enim est, animo cadere, & fiduciam abjicere, qui audit, se adire quidem beatitudinis fontem, sed eum tamen non erga omnes par esse efficaciam. Deus enim adeundus est sine trepidatione; qui incertus hæret, ne credat, se obtenturum quicquam Jac. I, 5. 6. Adimus autem in verbo & fiducia verbi. Cui si fidem denegemus, Deum facimus mendacem, & omne spei nostræ fundamentum subvertimus. Quomodo itaque Deus exaudiat? Denique propter imbecilliores opus esse prudentia, ne illos fontes, unde ipsis haurire datum est, fastidire discant, non indiget proluxa oratione. Deum tantum comprecamur, ut veritatem suam nobis tueatur, ejus ardore mentes nostras incendat, omnes in uno Spiritu & fide copulet, ut uno ore ipsum prædicemus, & tandem, hujus miseriam saturi, ad ipsum enitamur, de virtute verbi, quæ duxit nos, & Dei Trinivus clementia, æternum exultemus.

*Soli DEO sit Gloria!*



PRÆCLARISSIME NOBILISSIMEQVE

DOMINE

ZEUMERE

AMICE ATQVE FAUTOR SVAVISSIME,

**P**rudencia est, non iis tantum immorari questionibus, quæ patrum & avorum ingenia exercuerunt; sed eas quoque, quæ nostra atate Ecclesiam in partes scindunt, cognoscere & examinare. Qui enim controversias jam olim sepultas, perquirunt, eosque, quibus majores conflictati sunt, erroneas configunt, sui, quod agunt, seculi incuriosi, non absimiles mihi esse videntur nautis, qui scopulos, quos prætervecti sunt, sollicitè notant, syrtes autem, quas ante pedes habent, negligunt, & insuper habent. Ea vero perversa sapientia pars est, iis angi, unde periculi sit nihil; iis vero ne tangi quidem, a quibus vel maximum nobis discrimen impendeat. A quo præpostero cavendi studio Tu HONORATISSIME DOMINE ZEUMERE, eo majore sedulitate Tibi temperandum duxisti, quo magis intelligis, Te vitam agere inter homines, hoc est ibi, ubi non olim tantum erratum est; sed ubi seducere & seduci est familiare & quotidianum. Ut autem non cessat veritatis hostis, per suos delegatus, vel olim errata recoquere, & novo jure condita apponere; vel novis inventis Ecclesiam puriorem turbare; ita erecti a creque animi eo intendunt omnes nervos, ut animadversa ejus solertia



solertia, in gradu se componant, & armis, Christiano milite dignis, adversus ipsum depugnent, satis gnari, se non posse alio pacto illi Paulino respondere. Δεῖ τὸν ἐπίσκοπον, εἶναι δυνατὸν καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ, τῇ ὑγιαίνουσῃ, καὶ τὰς ἀνιλέγοντας ἐλόγχειν. Cujus effati recte memor, ita per omnem eruditionis sacratoris campum hucusque decurristi, ut ea precipue observanda Tibi existimares, quae nostro aeo puritati doctrina crucem figunt. Quae ut notare pulchrum duxisti, ita quam maxime illud spectasti, quid utilitatis ille Tuus conatus sit habiturus? Et, quo certis experimentis constaret, qua felicitate in munere publico, ad quod commendabili industria adspiras, sis versaturus, & privatis velitationibus periculum facere, & publico progymnasmate lacertas expedire voluisti. In qua arena, ut preclare Te staturum, non tam auguror, quam scio, ita & illum impetum, & hos profectus sincere gratulor, Deum precatus, ut quam primum in ea Te collocet statione, ubi salutaris doctrina assertor ingenuus, cum Ecclesia plausu doceas, & cum Tibi decus pares, tum, quod caput est rei, auditoribus Tuis aeterna felicitatis viam commonstres. Ita vale, ut ominatur

Tui

studiosissimus

Johann Caspar Haferung / D.